Fragmentarium

caro cum sint unus homo. et anima infunditur corpori. tamen utrumque suam naturam retinet. et propriam formam. sic divina natura et humana cum sint una persona. et divina sit unita humane. scilicet corpori et anime. tamen utraque manet in sua proprietate. absque ulla conversione vel confusione. Ad hoc et facit similitudo. ut licet unius hominis sint caro et anima. tamen unus non est duo. id est vel due res. vel due persone. sic unius christi quamvis sint due nature. tamen illarum participio christus nec est aliquid nec aliquis duo. remota ab eo et pluralitate rerum. et pluralitate personarum. Unde ait. sicut anima et caro unus est homo. Videtur esse dicendum sunt plurale. non est singulare. secundum regulam grammaticorum que dicit duo nominativa singulares in oppositione coniunctione copulativa et utraque sibi propositiva exigunt verbum plurale. sed iste modus construendi non numquam apud auctores invenitur. ut apud lucanum. cartago mariusque tulit solacia fati. tulit posuit pro tulerunt. Hoc quoque ponitur est pro sunt. vel potest conversa locutio. ut dicatur. homo est caro et anima. vel quia homo sit anima et caro. vel quod anima et caro sunt homo. non tamen propter proprietatem dicitur. eo quod homo sit illa. vel quia illa sit homo. sed propter eam que constituunt hominem dicuntur esse homo. vel quia homo constat ex illis dicitur esse illa. Sicut ergo anima et caro unus est homo. id est sunt unus homo. tamen homo nec est duo. nec anima in carnem. nec caro conversa in animam. sed utraque manet in sua natura. sic deus et homo unus est christus. Nam quamvis una res que sit deus. et alia que sit homo sint unus christus. vel christus sit due res. sed est sensus. sic deus et homo unus est christus. id est divinitas et humanitas sic sunt unus christus. quod nec christus est duo. nec alterutrarum naturarum conversa est in alteram. nec ambe confuse in unam naturam. sed utraque servat vim propriam. Est ergo una persona licet duarum naturarum in christo.

**Qui passus est pro salute nostra: descendit ad inferos tercia die resurrexit a mortuis.**

Qui scilicet humanam naturam passus est. quod est contra illos qui dicunt eum non vere passum sed apparenter. sed dominus de se ipso in evangelio testatur dicens. Tristis est anima mea usque ad mortem. Unde constat eum vere nostras infirmitates perpessum esse. et vere passum. et licet pro omnibus sit passus. quia fuit sufficiens hostia ad redemptionem hominum. licet non omnes redemptionem sint consecuti. tamen specialiter dicitur passus pro salute nostra. id est fidelium qui redemptionem consequimur. descendit ad inferos. scilicet animam. dum scilicet corpus fuit in sepulcro. Quid est ergo quod dominus dixit crucifixo penitenti.

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, NAL 2318, 24v – Simo Tornacensis, Expositio in symbolum 'Quicumque' (https://fragmentarium.ms/view/page/F-58jb/3459/36097)